



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Die Circvmsicionis Domini, Euangelium Luc. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

HISTOR. NATIVITATIS

*Quis p.
cipuus
sit cultus
dei.* amplectamur, discamus hunc præcipuum cultum dei
esse, inuocare Deum fiducia filij, & statuamus uere
exaudiri sic inuocantes. Talibus exercitijs uult Deus
in nobis ueram fidem accendi. & hæc fides est agni-
tio Messiae, quæ est inchoatio uitæ æternæ, sicut scri-
ptum est: Hæc est uita æterna ut agnoscant te esse ue-
rum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

DIE CIRCUMCISIONIS DO- mini, Euangelium Luc. 2.

ET POSTQVAM CONSUMMA-
ti sunt dies octo, ut circumcidere-
tur puer, uocatum est nomen eius
Iesus, Quod uocatum est ab angelo, pri-
usquam in utero conciperetur.

I Locus. Collatio ritus & uerbi Dei.

II Quid sint Sacramenta.

III Quare sit instituta Circumcisio, &
cuius beneficij fuerit pignus.

IIII Quid significauerit, & quare in
hac parte corporis uoluerit De-
us extare signum.

Quare

V Quare Christus circumcisus sit.

DE PRIMO.

De collatione ritus & uerbi Dei.

VITUPERAMUS Ethnicas ceremonias propter absurditatem, quod discurrebant luperci pellēti, & alias. Plus uidetur absurditatis habere Circumcisio: sed primum hīc discamus, in ceremonijs diuinis non opus sine uerbo, sed unā cum uerbo Dei considerandum esse. Ethnici habuerunt ritus sine uerbo Dei, & multae gentes circumcisionem retinuerunt sine uerbo Dei, ut Colchi, Aegyptij, & nunc Turcae & Iudaei retinent: sed opus sine uerbo Dei nihil est, imō est res damnata à Deo. Hanc regulam diligenter meminerintus de omnibus operibus, quod uerbum requirendum sit, & ibi uoluntas Dei agnoscenda, postea in opere significatio aliqua querenda est.

DE SECUNDO.

Quid sint Sacramenta.

DEus subinde instaurauit collapsam doctrinam suarum promissionum, & ut haec instauratio esset illustrior, noua signa instituta sunt: Et generaliter sacramentum proprie dictum, est signū **E** S promissū

DIE CIRCUMCISIONIS

promissæ reconciliationis. Querenda est igitur promissio addita signis. Duae autem traditæ sunt promissiones Abrahæ: Altera de reconciliatione: Altera de causa reconciliationis, uidelicet de semine in quo benedicentur omnes gentes. Hæ promissiones coniungendæ sunt: **Ero Deus eorum. Item In semine tuo benedicentur omnes gentes.** Harum promissionum nota fuit illa circumcisio, instituta in illa parte corporis, ut de uenturo semine admoneret circumcisos.

DE TERTIO.

Quare sit instituta Circumcisio

EST igitur circumcisio sacramentum additis promissionibus, uidelicet, promissione reconciliationis, & promissione seminis. Nam promissio terræ, et regni, seu politicæ, data est propter semen. Oportuit enim certum esse populum, in quo saluator nasceretur, Et propter has promissiones circumcisio adferebat gratiam, quia **Deus inquit: Ero Deus eorum.** Hinc potest intelligi uere fuisse sacramentum, & adulti admoniti hoc signo, fide intuebantur promissionem gratiæ, & uenturi saluatoris. Hac fide placebant deo, & inuocabant eum. Hæc fides & inuocatio sunt summi cultus, ignoti carnalibus iudicij, quos piij præstabant admoniti per circumcisionem, etiamsi opus ipsum uidebatur impijs absurdum. Erat autem gratum pignus, & insigne testimonium
his

his, qui in de statuebant Deum propitium esse.

DE QVARTO.

Quid significauerit &c.

MNIA opera humana, Ceremonialia, & moralia sunt symbola & imagines præcipue earum rerum, quæ in promissionibus significantur, Deinde accedunt & aliæ significationes rerum cælestium. Et quidem ea, quæ proprie sacramenta dicuntur, præcipue sunt signa uoluntatis dei erga nos, propositæ in promissionibus: Postea possunt addi aliæ significationes.

Circumcisio igitur principaliter significabat promissam reconciliationem, quia Deus dicit: **Ero Deus eorum:** & locus admonerat de causa reconciliationis. Quia enim fuit promissum semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Ideo illi parti corporis additum est signum. Hæc fuit præcipua significatio.

Sed ad hanc accedunt aliæ, quia præciditur particula à membro generationis, significabatur, hanc naturam lapsam esse, & nunc destinatum morti, & hanc pelliculam abiiciendam esse. Sed tamen uenturum semen, quod sublata maledictione redditurum esset nouam, & æternam naturam & uitam. Hæc sancti uidebant tanquam picta esse in hac imagine. Accedebat & aliæ admonitiones, mundus miserrime contaminatus

DIE CIRCUMCISIONIS

Taminat eas partes, & generatione abutitur, Deus
contra in hac ipsa parte posuit notam, ut cogitemus
Deum uelle, ut haec membra sint sancta, & sancte
utamur generatione.

Nobis **Baptismus** praecipue significat reconcilia-
tionem in promissione propositam: Sed postea multa
manet imago, mergimur, ut peccatum abluatur mer-
sione, uidelicet morte **Christi**, & nos inserti morti
Christi mortificemur, & omnibus procellis obrua-
mur, Sed resurgimus & emergimus cum **Christo**. Sic
coena **Domini** praecipue pignus est reconciliationis,
Sed imago ipsa testatur nos effici membra **Christi**,
Item nos mutuo membra esse unius corporis. Sic &
moralia uoluit **Christus** esse symbola: Remitte, & re-
mittetur uobis. Amor parentum erga liberos est **supra**
diuinitus indita humano pectori, & imago amoris
Dei erga nos.

DE QUINTO.

Quare **Christus** sit circumcisus.

PLAcebat filius **Dei** etiam sine circumcissione,
nec tenebatur illa lege: Si quis non fuerit cir-
cumcisus, eradicabitur: Sed sicut uniuersaliter
Christus uoluit esse subiectus legi, sic etiam circumci-
dendus erat. Et concurrunt multae cause, Voluit ex-
tare testimonium, quod natus esset ex posteris **Abra-**
hae in hoc populo, quod esset huius ecclesiae socius &
membrum

membrum: Sed præcipua causa est, subiectio sub legem, quæ non est intelligenda tantum ciuilitèr, quod uoluerit esse obsequens ciuis: Sed subiectio sub legem in illa persona, quæ non erat debitor, singulare beneficium significat, ad nos pertinens. Est enim subiectus legi pro nobis, uidelicet, non tantum officijs legalibus, sed etiam maledictioni, & poenæ, quam nos eramus meriti, ut fieret hostia pro nobis, placens patrens & liberans nos à maledictionibus legis. Itaq; circumcidi Christum, significabat eum subijci legi pro nobis, cum ipse non esset debitor, & iam obligari ad mortem pro nobis.

Hæc beneficia agnoscere, intelligere, & celebrare discamus, uidelicet, nos redemptos esse à maledictione legis, hoc est, ab ira Dei propter filium legi subiectum, & hac fide Deum inuocemus, & ei obediamus: Discamus item hanc ueterem naturam lapsam, amputatam, & præcisam esse, & promissam nouam & perpetuam naturam & uitam.

IN EPIPHANIIS DOMINI,
Euangelium Matth. 2. *secunda*

CUM AVTEM NATVS ESSET
Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus
Herodis regis, ecce Magi ab oriente
teue